Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2905
Quelle:
Copyright:

cui subscriptum: *Anno domini MCCCC66.* Quaestiones hae in compendium redactae sunt ex fusiore Tractatu *Johannis de Lignano*, quem indicavi *Cod.* LXXXVII. neque tamen ordo Quaestionum servatus est.

IX. *fol.* 159. Opusculum Asceticum hic titulum praeferens: *Scripta cartusiensis cuidam plebano fratri suo.* Incipit: *Lauamini, mundi estote. ysaie 1°. Ex quo nos sacerdotes omnino non statum communem cum popularibus et secularibus sed segregatum ab eis habemus* &c. Atque ab hoc initio successu temporis natus est alter Titulus, sub quo pluries seculo etiamnum XV. typis excusum est, puta *Augustae*, *Lipsiae*, *Coloniae* &c. titulus videlicet: *Lavacri Conscientiae omnium Sacerdotum*; semper tamen absque Autoris nomine, quem quidem e *Cod.* nostro *Carthusianum* fuisse video, an vero is *Jacoborum* aliquis *de Clusa*, *de Gruytrode*, *de Junterbuck*, an *Johannes ab Indagine*, qui omnes plurima Scripta pia reliquere, fuerit, dicere non habeo. Editioni *Argentinensi* 1519. 4. quacum contuli, adjectae sunt *Precationes duae ante et post missam*, quas *Codex* noster ignorat.

X. *fol.* 219. *Tractatus de Superstitionibus.* Secunda manus addidit: *Magistri Nicolaij.* Inclinabar *Cod.* DCLXXIII. quo primum Tractatus hic occurrit, in *Jacobum de Junterbuck Carthusianae* familiae; quid autem, si ad *Nicolaum de Dünkelspühl* referri debeat, quamvis in Scriptorum ejus Catalogo non memoretur?

DCCCIV.

Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Folior. 360. 8. currente calamo perscriptus autore *Gotthardo Preiss* ex *Wahring*, qui Vicus est *Viennae* adsitus, continet I. Expositionem Sacrificii Missae et Rituum Ecclesiae Catholicae hoc Rubro: *Die Teutsche Möss Sambt Nützlicher Auslegung der Heiligen Mess im Hochen Ampt. Auch Auslegungen der Ceremon Aller Kürchen Gebreuche der Christlichen vnd Catholischen Kürchen Ordnung.* 778

II. *fol.* 79. Opus polemicum contra Sectas, inscriptum: *Vom gesätz der Natur auch Moyses vnnd Evangelischen gesätz des Newen Testaments. auch Ordnung des Gottesdiensts vnd Lehr Jesu Christus des Obristen Priesters Nach der Ordnung Melchisedechs des Priesters gottes. des Tüffels vnd seines Anhang das ist Ketzern die Lugen zue widerlegen In allen Artickheln deren sie aus der H. schrift fälschlich auslegen. vnnd die H. Bibl als den ackher Gottes durchwüllen wie die Seu.* Additur annus 1625. Negari nequit, Autorem in rebus, quas tractat, satis versatum esse, sed *verba* germanica *provisam rem invita sequuntur.* Latina fortassis lingua valuisset magis, sed plebem nempe instruere voluit. Nihil de eo in Literatoribus nostris reperi.